



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput III. De Incredulitate & Fide vera, opposite ad Fidem spuriam
considerata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

CAPVT TERTIVM.

De Incrudulitate & Fide vera op-
posite ad Fidem spuriam consi-
derata.

SUMMARIUM.

- I. Praefatio §. 1 --- 4. ostendit
 - A. Nexum rerum porro tractandarum 1 --- 3.
 - B. Methodum observandum 4.
- II. Tractio concernit duo opposita 5 --- 52. quae
 - A. Proponuntur 5.
 - B. Deducuntur 6 --- 52.
 1. INCREDULITAS 6 --- 16. quae
 - a. Quatenus plene est in irrogenitis describitur 6 --- 15. ita ut
 - a. Definiatur 6.
 - β. Species ejus per partes enarrentur 7. --- 15.
 - α. Contra rationem 7 --- 9.
 - a. Atheismus theoreticus 7.
 - b. Atheismus practicus 8. 9.
 - β. Contra revelationem 11 --- 15.
 - a. Extra Ecclesiam 11 --- 13. quo pertinet
 - a. Infidelitas 11.
 - b. Haeresis 12. 13.
 - b. In Ecclesia 14.

γ. Gra.

- γ. Gravitas criminis ostendatur 15.
 b. Quatenus reliquia ejus sunt in regeni-
 tis 16.

2. FIDES genuina 17 --- 52.

2. In se considerata 17 --- 45.

a. Ejus indoles describitur 17 --- 41.

N. Definitio datur 17.

Δ. Per partes deducitur 18 --- 41.

a. Objectum Fidei 18. 19.

b. Actus Fidei 20 --- 41.

a. Supponens cognitionem 20.

b. Involvens 21 --- 41.

†. Actum formalem 21. 22.

††. Actus singulares, quos in-
 cludit 23 --- 41. Illi
 sunt

* Fidei semper communes

24 --- 26

— Desiderium 24.

≡ Quaesitio 25.

≡ Confugium ad Chri-
 stum 26.

** Fidei confortata proprius,

FIDUCIA 27 --- 41.

que

— Definitur 27.

≡ Specialius explicatur

28 --- 41.

/ Fundamentum ejus

28. 29.

// Exercitium ejus 30.

— 41. comprehen-
 dens

, Ad-

- Admirationem 31
- 1. Lætitiam in Deo 32 --- 35.
- 2. Confidentiam 36. 37.
- 3. Parrhesiam 38. --- 41.
- β. Momentum ejus indicatur 42 --- 45.
- α. Quatenus relationem intimam ad omnes alias virtutes habet 42.
- β. Quatenus summa ejus in se spectata est necessitas 43 --- 45.
- b. Opposite ad Fidem spuriam 46 --- 52.
- α. Variæ classes Fidei spurie recensentur 47 --- 51.
- α. Extraordinaria est Fides miraculorum & Enthusiasmus 47.
- β. Ordinaria est Fides imaginaria 48. --- 51.
- α. Gradus ejus percensentur 48 --- 50.
- α. Fides carbonaria 48.
- β. Fides historica 49. 50.
- β. Futilitas ejus ostenditur, quia est Fides temporaria 51.
- β. Criteria adduntur, quæ Fidem veram a spuria distinguunt 52.

I.

Ex descriptione Conversionis, quam dedimus, apparet, quod illa tale semen seu principium novum animabus inferat, quod omnibus virtus Legi con-

contrariis mortem indicit, omnesque *Virtutes Deo placentes* sub se comprehendit. Hæ duplicem *Officiorum* classem continent. Sunt enim quædam omnibus Christianis *communia*, quædam ad certas *relationes* atque *circumstantias speciales* restricta. Illis hunc, his ultimum Librum destinamus.

II. Priores ut concinno ordine pertractemus ac paulatim, indolem earum atque nexum naturalem inter se sequentes, evolvamus, duas iterum species *Officiorum* distinguimus. Prior comprehendet ipsum *Virtutum Christianarum* particulare, seu mavis *Bonorum operum, exercitium*; posterior *Media*, quibus adhibitis earum *incrementum* promovetur, exhibebit.

III. Ad *Officia* omnibus *communia* referemus *Virtutes* illas, quas *Radicales* dicimus, quoniam in omnibus reliquis *Officiis* supponuntur, atque radicaliter eorum *semina* in se continent. Scriptura illas duas nominat, nempe *Fidem & Amorem* Gal. v. 6. aliquando autem mediam illis interferit *Sperem* I. Cor. xiii. 13. *Amor* autem in triplici relatione, in qua omnis homo est constitutus, ad *Deum*, ad *seipsum*, & ad *proximum*, triplex objectum deprehendit. Hinc triplex *Amoris* exurgit facies, quam tribus adverbis Tit. ii. 12. *temperanter, juste, pie* Apostolus exprimit. Hoc *Amorem Dei*, illud *sui ipsius*, istud *proximi* innuit.

IV. *Virtutes* has catenæ instar in se coherere indicatur 2. Petr. i. 5. 6. 7. Quare singularum non solum indoles in se considerata, sed etiam nexus cum reliquis ostendi debet. Et cum in

Con-

Conversione peccatoris semper *Vitii* locum *Virtutis* occupet, illius consideratio ad hujus intelligentiam commodam viam sternet. Cumque *Hypocritis* per omnes virtutes se diffundat *genuinas a spuris* discriminare conabimur.

V. Primus ergo habitus pravus, quem *Conversio* sincera expellit, est *Incredulitas*, & primus habitus bonus, qui tanquam omnium reliquarum *Virtutum* prima *Radix* debet considerari, est vera *Fides*.

VI. INCREDULITAS, *Anisia*, est *vitiosus voluntatis habitus*, quo *veritatibus ad gloriam Dei ac salutem animæ spectantibus* renuitur, atque illas *obscurare quovis modo contendit*. Species ergo est *Erroris*. Sed tamen a communi *Errore* diffidet tum *objecto*, quoniam circa *veritates salutare* versatur, tum *actu*, quoniam talem *judicii corruptionem* ponit, quæ *odium veritatis* in *voluntate* involvit, & quovis modo *contrarium Errorem* propugnare adnititur. Cum autem *veritates illæ* sint vel per *Rationem* vel per *Sacram Scripturam* revelatæ, hinc nascitur duplex *Incredulitas*, altera quæ *Rationi*, altera quæ *Verbo revelato* dicam scribit. Utraque tam *theoretice* quam *practice* exercetur.

VII. Crassissima *Incredulitatis* species est *ATHEISMUS*. *Atheismum theoreticum* nominamus impulsu *judicii* ad *existentiam ipsius Dei*, aut *dogmatum* cum *existentia Dei* ita *intime coherentium*, ut *sine illis* nequeat *subsistere*, *veritatem oppugnandam* atque *abnegandam*. Posterius in *Sadduceismo* ac *Deismo* sit ab illis, qui *providentiam divinam*, *essentias immateriales*, *animæ* immor-

immortalitatem, iudicii universalis metum, & ita porro, rejiciunt.

VIII. Quamvis nihil *stultius* sit hac impietate Pf. xiv. 1. & satis horrendum supplicium sibi ipsi consciscat *Theomachus* ejusmodi; nihilominus tanta ejus est atrocitas, ut ubi propalatur, in Republica a Magistratu religioso non solum propter honorem, qui Deo exhibendus est, non debeat, sed etiam absque securitatis publicæ prodicione non possit tolerari.

IX. *Atheismus practicus* committitur per quæcunque peccata, quibus non solum summum Dei Dominium, sed etiam omnes Virtutes atque Opera divina, quibus illud innititur, abnegantur. Hic *Atheismus* potissimum quidem per testimonium actionum committitur; sed tamen eatenus in ipso iudicio sedem habet, quoniam peccator, ut eo liberiori concupiscentiis impuris inservire possit, ipsarum Virtutum illarum divinarum, quæ bellum iis indicunt, fulgorem obtenebrare contendit Pf. l. 21.

X. *Incredulitas* contra *Revelationem* est vel eorum, qui extra pomœria Ecclesiæ vivunt, vel eorum, qui inter membra ejus reputari volunt. Qui *foris* sunt, vel *totam* Scripturam simpliciter rejiciunt, vel *partem* ejus, si non *negant*, saltem in sensum pravum *detorquent*.

XI. Prius fit per illos, qui plane ipsum Christianorum nomen respuunt, *Gentiles* 1. Cor. vii. 12. *Judeos* Rom. vii. 3. xi. 20. Hebr. iii. 19. *Turcas*, quos per *emphasin* *Infideles* nuncupamus. Addantur *Naturalismi* crassioris sectatores.

XII. Posterius stricte HÆRESIS dicitur 1.

M

Cor.

COR. XI. 19. GAL. V. 20. 2. PETR. II. 1. per quæ intelligimus *obfirmatum* iudicii circa *veritatem fundamentalem errorem*. Quatenus autem illa veritas, circa quam impingitur, vel *theoriam* vel *praxin* spectat, eatenus *Heresin* vel *theoreticam* vel *præcticam* distinguere licet.

XIII. Vitium hoc inter gravissima utique est ponendum, unde tractatur in sacris ut peculiare objectum divinæ iræ. 1. COR. III. 17. LUC. VI. 39. Abominandum etiam piis esse debet ROM. XVI. 17. GAL. I. 7. PHIL. III. 2. 2. JOH. VI. 10. II. Quare *indifferentia* circa illud utique vitiosa est. Nihilominus *prudencia* ac *moderatio* requiritur

(1) In vitio hoc dignoscendo, ne sub prætextu odii contra *Heresin* ipse in *Schisma* aut saltem ita dictam *Hæretificationem* incidat.

(2) In distinctione inter *Hæresiarchas seductores* & *Hæreticos seductos*. Hos querere, ut corrigas, illos fugere, ne ipse labem contrahas, passim securius est.

(3) In *pœna decernenda* nihil indignius est Republica Christiana, quam civilibus, quin *capitalibus, suppliciis* *Hæresin* extirpare velle.

XIV. Inter ipsos externos veræ Religionis Confessores

(1) *Atrocius* impingitur per *IRRISIONEM*, qua scommata contra veritates Evangelii profertur, sive ut Sapientiæ opinio apud alios capretur, sive ut quis contra vim veritatis se obduret. Unde *irrisiones* ejusmodi frequentiores esse solent, quando conscientia per præconium veritatis fortius impulsâ & concitata est. Talis *irrisio* asper-

tinam

rimam derisionem Dei provocat Prov. III. 34.
Confer Prov. . 22. Gal. v. 7.

(1) *Subtilius* rei sunt *Incredulitatis*, quin licet testimonio Evangelii assentiantur, in falsum tamen sensum illud *detorquent*, carnis præjudiciis ut faveant. Tales ἀπίστοι notantur Tit. I. 15. Hebr. III. 12. 17. 19. 2. Petr. III. 16.

XV. Vitium hoc revera est *maximum*. Nam

(1) Nascitur ex animo non solum Conversionis experte, sed etiam eam respiciente & contra eam pugnante.

(2) Radix est omnium reliquorum vitiorum, quæ *semen Atheismi* supponunt.

(3) Honorem, quem Deo testanti creatura ejus debet, proculcat, eumque *mendacem* facit. Joh. v. 10.

(4) *Relate* ad Evangelium & maxima contra Deum in eo gratiam offerentem ingratitude, & turpissimus propriæ salutis neglectus est.

XVI. *Reliquiæ* Incredulitatis in ipsis *fidelibus* supersunt, atque tam in casibus ordinariis quam extraordinariis deteguntur.

(1) Ad *extraordinarios* referimus illos, qui cum revelatione quadam immediata conjuncti fuerunt, in qua amplexanda tardiores fuerunt si-ve dubitantes de ejus veritate, ut Thomas Joh. xx. 27. & reliqui discipuli Luc. xxiv. 11. 41. si-ve de rei, quæ revelabatur, possibilitate, ut Zacharias Luc. I. 18. 20. & Sara Gen. xviii. 12.

(2) In *ordinariis* casibus fidelium Incredulitatis locum habet.

(a) Quando generatim non audent gratiam & omnisufficientiam Dei & Redemptoris sibi applicare,

plicare, quorum imago occurrit Marc. ix. 24. in orante : *Succurre mea incredulitati.*

(b) Quando hæsitant in quibusdam gravioribus tentationibus circa auxilium divinum, quod ὀλιγοπισία *Fides parva* audit Matth. vi. 30. VIII. 26. XIV. 31. &c.

(c) Quando non satis a communione cum infidelibus sibi cavent, & aliquando ad aurem perniciosis eorum dogmatibus præbendam nimis faciles sunt, quod dicitur ἑτεροζυγεῖν ἀπίστοις *jungi cum infidelibus* 2. Cor. vi. 14.

XVII. FIDES vera, cujus indolem expriment voces, tam Græca Πίστις, designans *persuasionem de veritate*, quam Hebraica אֱמוּנָה denotans *fiduciam, quæ in alicujus veritate & fidelitate ponitur*; est ille *Habitus a Spiritu sancto per verbum Dei in voluntate regeniti productus, quo Testimonium Evangelii de salute peccatoris per obedientiam Filii Dei assensu pratico tam efficaciter apprehendit, ut secundum illud UNICE ac TOTALE ITER servari velit.*

XVIII. *Objectum* adeoque Fidei est

(1) *Testimonium Dei*, in quo solo Fides vera nititur.

(2) *Specialius Testimonium illud, quod in Evangelio exhibetur Rom. i. 17.*

(3) *Nec tamen omnes veritates absque discrimine, quas Verbum Evangelii comprehendit, sed speciatim fundamentum istud fundamentorum, centrum illud, scopusque totius Scripturæ, quod JESUS SIT CHRISTUS, & quod, qui credit in eum, salvandus sit Joh. xx. 31. 1. Joh. v. 11.*

XIX. *Testimonium hoc non est immediatum, quo-*

quoniam *Fides* a *visione* differt 2. Cor. v. 7. sed *mediatum*, quod dupliciter exhibetur, partim *externe* in Scriptura Sacra, partim *interne* per *illuminationem* Spiritus sancti. Hæc *gradus* suos habet. *Imperfectior* subsistit in convictione de certitudine hujus salutis quoad omnes, qui salvari cupiunt. *Perfectior* per criteria indubitata animam persuadet, quod ipsa hujus salutis compos facta fuerit. Et hæc *graduum illuminationis* distinctio fundamentum est *graduum* in ipso *actu* fidei, in quo notandum, tum quid *supponat*, tum quid *involvat*.

XX. Præsupponi *Cognitionem* mysterii salutis res ipsa loquitur, quoniam impossibile est, Testimonium per Fidem recipere, & tamen ejus argumentum ignorare Rom. x. 17. Joh. iv. 10. Potest tamen *Cognitio* hæc aliquando admodum modica esse.

XXI. Id quod Fides involvit, est *Actus voluntatis*. Nam *credere* & *velle* alternant Apocal. xxii. 17. Sed est talis Actus, qui *totam* voluntatem occupat, multasque actiones sinu suo amplectitur. Generatim dicitur *Receptio Christi*. Illa autem fit

(1) Per *judicium* voluntatis, quo Testimonium Dei Triunus de Filio, tanquam absolutissimo mundi Redemptore, ut verissimum Deoque decentissimum agnoscit & approbat, Joh. 111. 33. 1. Cor. xv. 1. 1. Joh. v. 9-11. 1. Tim. 1. 15.

(2) Per *inclinationem* ac *determinationem* voluntatis, secundum illud *judicium*, qua Filium Dei, ut unicum suum Redemptorem propter tale Testimonium & *juxta ejus præscriptum* apprehendit,

dit, seque ei redimendum tradit Joh. I. 12. v. 43. Col. 11. 6.

XXII. Actus ergo principalis Fidei est *Unio fœderalis* cum Filio Dei, per quam anima convicta de meriti ejus sufficientia, deque necessitate communionis cum eo, ut illius meriti particeps evadat, se ei *desponsat per fidem* Hof. 11. 20. Talis autem desponsatio nequit sincera esse, nisi Christus recipiatur illa lege, qua Sponsa in fœdus conjugale transit; adeoque

(1) **UNICE**, cum abnegatione sui ipsius & omnium creaturarum ipsum pro solo omnis veræ salutis Authore agnoscendo Ps. LXXIII. 25. 26.

(2) **TOTALITER** atque indivise, secundum omnes illas relationes, quas Filius Dei in Opere salutis ad peccatorem accepit, ut *perfectam salvationem* præstaret Cant. v. Matth. XI. 28. 29.

XXIII. Ut autem pateat, quam late hic *actus formalis* Fidei se extendat, capropter quid in eo concurrat, & quo ordine, observandum est, idque eo magis, quoniam Fides vera, æque ac reliquæ virtutis Christianæ, incrementi capax est, uti suo loco videbitur. Unde bene distinguenda, quæ *semper* Fidei insunt; ab illis, quæ in *Fide* magis *confortata* locum habent.

XXIV. Maxime generalis Fidei affectus est sincerum communionis cum Christo & per illum cum Deo **DESIDERIUM**, quod sub *famis*, *sitisque* spiritualis nomine proponitur Matth. v. 6. Apoc. xx I. 17. ut vehementia sinceri desiderii eo clarius patescat. Desiderium hoc licet pri-

primum Fidei initium constituat, nunquam tamen per totam vitam cessare debet; quamdiu aliquis unionis cum Christo gradus superest, quem anima nondum obtinuit, Ps. XLII. 1. 2. Quin toties novam requirit intensiorem, quoties unionis cum Christo sensus per varias tentationes obscuratur Ps. LXXXIII.

XXV. Ubi est desiderium sincerum; ibi ex eo immediate conatus re desiderata potiundi gignitur. Est ergo in Fide porro *quæstio Jehovæ* seu *faciei ejus* Ps. XXIV. 6. XXV. 8. Prov. VIII. 17. Jes. LV. 6. idque *ex toto corde* 2. Chron. XV. 12. Et quando supponitur, quod Deus se in Evangelio detexerit, tum Fides occupata est in *veniendo*, quod alternat cum *credere* Joh. VI. 35. & frequentissime usurpatur. Jes. LV. 1. Matth. XI. 28. &c. Phrases hæc sunt generales, & petita ex cultu Dei in *Festis* Israël, in quibus *se conferre* ad locum Sanctuarii, atque ibi *Faciem Jehovæ* *quærere* debebant; unde illæ totum exercitium Fidei per cultum rationalem aliquando involvant.

XXVI. Specialior est actus *Confugii* Hebræis *מִן* Ps. II. 12. xxxvi. 8. xci. 4. quatenus Fides in *arce* obedientiæ Christi *latibulum* contra hostes & tempestates quærit Ps. xci. 2. 9. Jes. IV. 6. Prov. xviii. 10. Quo præcipue faciunt ardentem *Preces*. Confugium hoc quamvis supponat, quod in unione Fidei cum Christo a nostra parte aliquid deficiat, revera tamen unionis illius initium est, & quatenus spe non vana potiundi Christo sustentatur, semina *Fiduciæ* in se continet.

XXVII. Atque inde nascitur ipse ille nobilissimus *Fidei* actus, qui *FIDUCIA* appellatur. Hebræis כֶּטֶם vel מִכְטָם, Græcis *πρωθυμία*, per quam designatur ille habitus a Spiritu sancto infusus, quo quis ex indubitatis argumentis de suo cum Deo reconciliatione certior redditus conscientia tranquillata fruitur. Distinguendum hic erit inter fundamentum *Fiduciæ*, ejusdemque exercitium.

XXVIII. *Fundamentum* requiritur & certum & clarum. *Certitudo* semper adest, *claritas* non item.

Certitudo fundamenti æque ac ipsa *salutis certitudo*, quam inter *Bona Gratiæ*, quæ electis jam in hac vita dispensantur, locum habere alias demonstramus, nititur duplici testimonio, nunquam dirimendo, *extrinseco* & *intrinseco*.

(a) *Extrinsecum* est testimonium Spiritus sancti in *Evangelio*, tum de sufficientia Dei ad salutem præstandam *Jes. xl. 28. Eph. iiii. 21.* tum de veracitate ac fidelitate ejus in promissis suis implendis *Hebr. vi. 17. 18.* quæ utraque conjungit *Fiducia Abrahami Rom. iv. 20. 21.* Sic omnis *Fiducia* terminatur in *Jehova*, Deo fœderato *Ps. xxv. 2. xxxii. 10. cxii. 7. Jerem. xvii. 7.* Unde ratio patet, cur nomen יְהוָה in memoriale suum constituerit.

(b) *Intrinsecum* est testimonium Spiritus sancti in *conscientia*, de donata gratis remissione peccatorum & vita æterna per meritum Christi certificantis *Rom. viii. 16.* ac certitudinem salutis obsignantis *Eph. iv. 30.* sive id fiat *tantum mediate per fructus Spiritus*, ex quibus *Fides* cognoscitur

scitur Jac. II. 18. five etiam simul *immediate* per
extraordinarias operationes & charismata 2. Cor.
XII. 9.

XXIX. *Claritas* fundamenti, in quo *Fiducia*
requiescit, sæpe deficit, etiam ubi fundamentum
ipsum adest, in variis tentationibus animam ob-
scurantibus Ps. LXXVII. 8-10. Jes. XL. 27. XLIX. 14.
I. 10. Et tamen pro modulo claritatis ipsum Fi-
ducia exercitium gradus varios habet.

XXX. *Exercitium* hoc *Fiducia* veræ consistit in
illa jucunda conscientia operatione, quæ *Actus*
reflexus dici solet, quando illa intimo reconci-
liationis cum Deo per Christum sensu animam
perfundit, eique quasi *gustandam bonitatem Jeho-
væ* exhibet Ps. xxxiv. 9. Cant. II. 3. idque tam
in Operis Gratia initio, quam in ejus progressu.
Hæc experientia tanti boni non potest non *intime*
conjuncta esse cum tenerrimis affectibus *admira-
tionis, lætitiæ, & securitatis*; & illico se exserere
per *filialem parrhesiam*.

XXXI. ADMIRATIONEM gignit Bonum no-
vum, tam indigno exhibitum, & eousque *magni-
tudine* sua & captum omnem & expectationem
superans. Hæc est rationalis & sanctissima fide-
lium *Ecstasis*, dum hinc profunda suæ indignita-
tis agnitione quasi liquefiunt Ps. cxxiv. 3. inde
abyssus amoris divini absorbentur Ps. xxxi. 20.
xxxvi. 8. cxvi. 12. I. Joh. III. 1.

XXXII. LÆTITIÆ semina, quæ in conver-
sionis initio cap. præced. §. 30. jam observavimus,
maturescunt, quando fiducialis salutis certitudo
in conscientia producitur, quæ per emphasin *Læ-
titiæ in Spiritu sancto* dicitur Rom. XIV. 17. Sic no-

minatur ille animi habitus per Spiritum sanctum productus, quo plene de certitudine communionis sua cum Deo per Christum reconciliato ac spei vite aeternae persuasus intime ea propter deliciatur.

XXXIII. *Objectum* hujus *laetitiae* generale est conscientia communionis cum Deo. Adeoque terminatur in ipso Deo, quoniam Bonum, in quo latandum est, ipse Deus ejusque gloria est, quatenus in redemptione peccatoris se revelat. Hinc dicitur *Laetitia in Domino* Ps. xxxiii. 1. 21. Jes. lxi. 10. Habac. iiii. 18. Exclusis enim omnibus creaturis Dei solius veritatem pro fundamento, atque omnisufficientiam ejusdem pro objecto habet.

XXXIV. Accedunt *objecta specialiora*, quae aut *media* ad Laetitiam in Deo promovendam, aut *pars* ejus sunt.

(1) *Omnia beneficia spiritualia*, quae aut antea concessa memoria recoluntur, aut in praesentia exhibentur, aut in futurum expectantur. Sic gaudium renovari debet

(a) Quoad *praeteritum* recordatio remissionis peccatorum Ps. li. 10.

(b) In *praesenti* sensus amoris divini Cant. i. 4.

(c) In *futurum* expectatio certa adventus Domini & promissae gloriae, de qua Cap. sequenti agetur.

(2) *Omnia beneficia corporalia*, quae adjuvant animam in exercitio communionis cum Deo Act. xiv. 17. Psalm. xxx. 12. Eccles. v. 19. 20.

(3) *Omnes occasiones*, per quas de manifestata Dei gloria in operibus Creationis & Providentiae divinae admonemur.

(4) Bene-

(4) Beneficia per Dei gratiam *alio impensa*, five toti Ecclesiæ Psalm XIV. 7. CXXXVII. 6. five singulis fidelibus Rom. XII. 13. 2. Cor. VII. 13. Philem. vs. 7.

XXXV. *Actus* hujus lætitiæ non solum consideratur ut bonum fidelibus promissum Joh. XVI. 22. sed etiam ut officium Ps. XXXII. 10. 11. Phil. III. 1. In illo ita versari debent, ut lætitiæ hujus promoveant.

(1) *Puritatem*, abstinentes a lætitia in re temporali, multoque magis vana & peccaminosa.

(2) *Vehementiam*, quoniam propter Boni præstantiam superare debet quæcunque alia gaudia Ps. IV. 7. 8.

(3) *Constantiam* non excepta ipsa nocte afflictionum Jac. I. 2. Habac. III. 17. 18.

XXXVI. Comes Lætitiæ est *SECURITAS* seu *Confidentia sancta*, *ἰσχυρὸς*, alias quoque expressa per symbola *Quietus & Sabbatismi*, designans heroicum illum *credentium habitum*, quo *communio- nis sue cum Deo & veritatis promissionum divinarum constantiaque fœderis ejus certi*, *omni cura*, *timore* atque *alio affectuum anxiorum tumultu expulso*, *tranquille se totos Regimini divino permittunt*.

XXXVII. *Objectum* seu *fundamentum* talis *Confidentia* ferme coincidit cum *objecto* Lætitiæ. Ad *actus* ipsius descriptionem illustrandam pertinet locus Hebr. XI. 1. ubi Fides consideratur ut *ὑπόστασις eorum, quæ sperantur*, & *ἔλεγχος eorum, quæ non videntur*. Ad hunc gradum obtinendum fideles frequenter animantur, quando jubentur *confidere* Matth. IX. 22. Joh. X. V. 33. & *non timere* Gen. XV. 1. Jes. XXXV. 4. Luc. II. 10. Unde simul

simul liquet maxime hanc virtutem in adversariis exerceri Job. xix. 25.

XXXVIII. Quo magis affectus hi sunt excitati, eo magis promovetur PARRHESIA, quam Apostolus inter proximos Fidei fructus refert Ephes. 111. 12. quæque involvit illam *Fidei actus-ritatem*, qua quis plene persuasus de sua cum Deo et Christo reconciliatione suæque Fidei sinceritate, pro quod inde accepit, ad demonstrandam persuasionis suæ certitudinem coram Deo & hominibus exercet.

XXXIX. Fundamentum Parrhesiæ remotius est persuasio de sua cum Deo reconciliatione; propinquius autem persuasio de suæ Fidei sinceritate, quæ obscurior sæpe per novas imbecillitates & lapsus evadit, clarior autem redditur per conscientiam *Fidelitatis* in negotio suscepto exercitæ, & *bonæ causæ*, ad quam fideles aliquando provocandi jus habent Ps. xv. 1. 2.

XL. Exercetur autem hæc Parrhesia a Sacerdotio mystico potissimum *coram Deo* 1. Joh. v. 14.

(1) Per *pias Meditationes*, per quas fideles sibi *benedicunt* Jes. xl v. 25. agnoscunt magnitudinem prærogativæ, quam in communione cum Deo exercent.

(2) Per *Preces* Hebr. iv. 16. x. 22. *restipulationem bonæ conscientie* exercentes 1. Petr. 111. 21. quæ ab una parte promissis divinis & merito Christi Psalm xxv. 8. ab altera parte testimonio sinceritatis Job. xx11. 10--12. nititur.

(3) Per usum *Sigillorum* Fœderis gratiæ, tanquam *pignorum* veracitatis Dei.

XLI. Eadem *coram hominibus* declaratur.

(1) Di-

(1) Dictis, quibus & libera confessio veritatis 1. Petr. III. 5. exhibetur absque pudore, & insimul certitudo animi de favore Dei atque confidentia in justitia causæ significatur, quæ est *gloratio in Domino* Jerem. X. 23. XVII. 14. 1. Cor. I. 31.

(2) Factis, quando contempto mundi opprobrio causæ Dei mascule defenditur, ad *Parrhesiam in die judicii* conservandam 1. Joh. IV. 17. 2. Cor. V. 9--1.

XLII. Maximum Fidei *momentum* primo ex relatione liquet, quam ad reliquas virtutes habet.

(1) Relate ad *Conversionem* ejus primus effectus intime cum illa unitus est. Qui enim in Filium credit, ille actu a creatura ad Deum se convertit, quia non alio fine in eum credit, quam ut ex vinculis peccatorum liberatus in communionem cum Deo restituatur. Hinc unum sæpe alterum involvit.

(2) Relate ad omnes sequentes virtutes consideratur ut *Radix* earum Col. II. 7. Matth. XII. 6. 21. Jud. VI. 12. Nam

(a) In ordine temporis antecedit, quoniam est *primus actus*, in quo *Conversio* se exerit, & qui per Verbum tanquam *semen Regenerationis* producitur.

(b) Per Fidem regenitus proxime cum Christo est unitus, eique tanquam unicæ causæ vitæ spiritualis inhaeret Ps. XXVII. 1. Joh. XV. 4. 5. quo pacto illa *medium* evadit ad illud robur acquirendum & conservandum, per quod Bona Opera efficiuntur.

(c) Reli-

(c) Reliquæ omnes Virtutes & Bonæ actiones ex Fide originem trahunt Hebr. xi. 6. 1. Tim. 1. 5. Rom. xiv. 23. Nam

(α) Fides illas *in sinu* suo continet & ex se gignit 2. Petr. 1. 5. Jac. 1. 14. id quod per nexum, quem singulæ cum Fide habent, uberius demonstrabitur.

(β) Fides *calcar* est, per quod studium Bonorum operum intenditur, quoniam argumenta maxime stringentia ex doctrina Evangelii sub oculos ponit.

(γ) Fides veram operibus omnibus *formam* dat. Nam ubi illa est, ibi Virtutes Cardinales itidem adsunt: quoniam desiderium salutis veræ animam ad *legitimum scopum* convertit; & apprehensio meriti Christi est *inflexio* unice illius *vite*, quæ ad hanc scopum ducit: unde fides *cor purificare* dicitur Act. xv. 9.

XLIII. Sed & summam Fidei in se spectatæ *necessitatem* Scriptura inculcat Marc. xvi. 16. 17. Joh. 11. 26. Hebr. x. 38. xi. 6. Quin eam considerat ut *unicum medium* ad justificationem, exclusis omnibus Operibus, & ut *unicam conditionem* in Fœdere Gratia, quamvis non sine efficaci Spiritus S. operatione, præstandam. Argumenta specialiora præter summam *fœditatem* & *periculum* incredulitatis §. 15. ostensa desumuntur

(1) Ex *natura Dei*, unde liquet, quod Lex Fidei sit Lex sanctissima, quoniam per sanctitatem suam communionem se decentem cum peccatore non potest exercere, nisi intercedente Mediatore, quocum Fides unit.

(2) Ex *natura nostra*:

(a) Quo-

(a) Quoniam omnia alia media ad justitiam & vitam, quæ caro suppeditat, non sufficiunt Mich. vi. 8.

(b) Quoniam hoc medium sufficiens esse ex illis apparet, quæ modo sunt allata, ut Fidem esse Virtutem primam radicalem probetur.

(c) Quoniam cum natura nostra convenit. Nihil enim est *æquius*, quam Deo honorem omnisufficientiæ in Christo ad nostram salutem demonstratæ dare. Nihil est *jucundius*, quam cum Authore omnis salutis se unire. Nihil magis ad *impotentiam* peccatoris accommodatum est, quam omne proprium opus abnegare, alienam justitiam apprehendere, alteri se tradere, ut, quæ ipsi non possumus, in nobis præstet.

XLIV. Fas quoque est, ut, qui habet prima Fidei initia, ad *fiduciam* Fidei *perfectionem* eniti quærat. Nam

(1) Ad *gloriam Dei* pertinet, ut magnitudo illius Boni, quod Fidei objectum est, & cujus possidendi plenum jus a primo Fidei momento adest, rite agnoscat.

(2) *Fundamentum* Fiduciæ, Lætitia, Parrhesiæ a primo Fidei initio jam actu adest.

(3) A Fidei minore aut majore gradu dependet totius Novi Hominis omnisque actuositatis bonæ aut languor aut fanitas.

XLV. Quo clarius autem Beneplacitum Dei de salute per Christum in N. T. & executioni datum & in Evangelio revelatum est, eo magis *Fides confortata* requiritur. Veracitatis Dei illustrior demonstratio *Fiduciam*, Magnalium ejus annunciatio *Admirationem*, Operis redemptionis

tionis consummatio *Tranquillitatem*, Bonorum N. T. uberrima mensura *Laetitiam*, blandior per Evangelium post velum tænis Christi ruptum ad communionem cum Deo invitatio *Parrhesiam* Sacerdotalem intendit. Hinc *πληροφορία* Fidei inter attributa fidelium N. T. principem locum occupat Col. II. 2. Hebr. VI. II. X. 22. & effectus Fidei, quos recensuimus, alias ut singularia Novi Testamenti officia considerantur. Confer prophetias Ps. LXXXIX. 16. xcv. 1, 2. c. 2. Jes. xxxv. 3, 4.

XLVI. Momentum maximum Fidei diligenter requirit *scrutinium* 2. Cor. XIII. 5. quo pertinet, ut Fides *genuina* per certa *criteria* discernatur a *spuria*, quæ ut Fides *hypocrita* 1. Tim. I. 5. & *mortua* Jac. II. 17. describitur, & rejicitur.

XLVII. Illa in primordiis Christianismi sub se comprehendebat *Fidem miraculorum* 1. Cor. XIII. 2. quæ exemplum erat, quousque illusio in materia de Fide progredi queat. Communis autem omnibus temporibus est *Fides imaginaria*, seu mavis *Credulitas*, quam iterum distinguere licet in *extraordinariam* & *ordinariam*. Ad credulitatem *extraordinariam* referre licet *Enthusiasmum*, qui prope accedit ad *Fidem miraculorum*, quia eisdem operationibus immediatis nititur, siue illæ sint fictæ, & mere hypocriticæ, siue phantasiæ corruptæ abortus.

XLVIII. *credulitas ordinaria* iterum diversos gradus habet, prout aut *nullo* plane fundamento, aut *imperfecto* atque fallaci nititur. *Nullum* plane fundamentum habet Fides veritatis salutaris cognitione destituta, qualis non solum est *carbonaria*, quæ dicitur, Pontificiorum, sed etiam

etiam omnium, qui in principiis veræ religionis non sunt instituti, & tamen propter nomen quod gerunt se inter credentes adscribunt.

XLIX. *Fallax* fundamentum præbet *Fides historica* eorum, qui in cognitione veritatis cate-nus sunt instituti, ut *assensum theoreticum* ei præbeant, qui tamen ipse admodum mancus est, quoniam passim in generalibus tantum veritatibus subsistit, & non curat, ut verum omnium veritatum in Evangelio ad salutem revelatarum nexum veluti fas erat, perpendat.

L. Hæc Fides diversos plane effectus habet, prout cognitionis diversa mensura in ea occurrit.

(1) Ubi plenior adest veritatum salutarium intellectus, ibi conscientiaæ *terrores* varii incutiuntur, exemplo *Diabolorum* Jac. II. 19.

(2) Ubi nexus veritatum magis confunditur aut detorquetur, illic *stolida Fiducia* nascitur, quia illi se misere decipiunt, qui præconium Evangelii percipientes, absque ullo sinceritatis Fidei suæ examine, sibi persuadent, Christum pro se esse mortuum, atque huic pulvillo secure indormiunt.

LI. Utrumque Fidei genus potest *Fides temporaria* appellari. Quamvis enim externa specie ac sigillatim præsentæ Fiduciaæ firmitate Fidem genuinam sæpe exsuperet, perdurare tamen nequit; quoniam quicquid aut *nullo* aut *rumoso* fundamento nititur, stabile non est. Hoc probatur per immixtas tentationes, quæ *Fidem radicem non habentem* detegunt Matth. XIII. 21. & veram splendidiorem reddunt 1. Petr. I. 7. Et plene omnem falsam gloriationem adventus Do-

N

mini

mini in ultimo iudicio deteget Luc. XIII. 25. 26.
Matth. xxv. 44. 45.

LII. Sunt tamen *criteria*, ex quibus aliquis in seipso Fidei suæ certitudinem potest adipisci.

(1) Ex natura *formalis actus* Fidei sequitur:

(a) Quod sincera Fides illa tantum sit, quæ Christum *solum* amplectitur, quod locum non habet, nisi nobis ipsis & omnibus creaturis renunciemus.

(b) Quod vera Fides Christum *totum* apprehendat, adeoque non solum ut Sacerdotem, sed etiam ut Prophetam & Regem summum.

(2) Ex natura *initii*, unde Fides se exferere incipit, fluit, quod desiderium unionis cum Christo fortius esse debeat, quam ullius rei in toto mundo.

(3) Ex natura immediatorum Fidei *fructuum* conficimus, quod non sit genuina Fides, nisi quæ per amorem est efficax.

CAPVT QVARTVM.

De Conversione a servili Timore ad Spem certam promissionum Dei.

ARGUMENTVM.

Post transitionem, quæ nexum indicat §. I. describitur

I. TI-